

Prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum.

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli
ad Ephésios

1, 3-6. 15-18

³ **B**enedíctus Deus
et Pater Dómini nostri Iesu Christi,
qui benedíxit nos in omni benedictióne spiritáli
in cæléstibus in Christo,
⁴ sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutióne,
ut essémus sancti et immaculáti
in conspéctu eius in caritáte,
⁵ qui prædestinávit nos in adoptiÓnem filiÓrum
per Iesum Christum in ipsum,
secúndum beneplácitum voluntátis suæ,
⁶ in laudem glóriæ grátiae suæ,
in qua gratificávit nos in Dilécto.

[7-14]

¹⁵ Proptérea et ego áudiens fidem vestram,
quæ est in Dómino Iesu,
et dilectiÓnem in omnes sanctos,
¹⁶ non cesso grátias agens pro vobis
memóriam fáciens in oratiÓnibus meis,
¹⁷ ut Deus Dómini nostri Iesu Christi, Pater glóriæ,
det vobis Spíritum sapiéntiæ et revelatiÓnis
in agnitÓne eius,
¹⁸ illuminátos óculos cordis vestri,
ut sciátis quæ sit spes vocatiÓnis eius,
quæ divítiae glóriæ hereditátis eius in sanctis.

Verbum Dómini.